



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Iohanni Illvstri Regi Anglorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

non habuerit vel nepotes , filiae vel nepti suae obtentum beneficium dat in dotem , & de ipso tamquam de propria hereditate disponit . Si quando vero quisquam eorum prius viam fuerit universae carnis ingressus quam filium vel nepotem suum juxta formam praemissam secum de beneficio suo fecerit investiri , nihilominus filius vel nepos ipsius ei succedere nititur & patris beneficium obtainere . Si quis autem eorum semen non reliquerit super terram , nec clericus aliquis ex ejus consanguinitate compareat , laicus qui propinquior ei sanguine fuerat , per manum alicujus clerici vacantem Ecclesiam recipit , & percipit fructus . Ceterum si super his interdum non annuitis votis potentium , vel eis beneficium investiturae negatis , rapiunt bona vestra , & ecclesiastica spoliant quae requirunt , & aliter etiam vos non dubitant molestare , guerras & dissensiones contra vos sepius suscitantes . Quia vero abusus hujusmodi canonicas obviat institutis , volentes monasterio vestro paterna solicitudine providere , auctoritate presentium districti inhibemus ne quod ex ecclesiasticis beneficiis , quorum donatio ad vos spectat , vel duobus conferatur in integrum , vel post patrem nullo medianti filio tribuatur , aut cuiquam assignetur in dotem , vel ad consanguineos tamquam jure hereditario devolvatur . Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Idus Junij.

*Scriptum est super hoc Treverensi Archiepiscopo & Episcopo Tullenensi præcipiendo ut si quis Abbatissam & moniales ipsas contra inhibitionem prædictam molestare præsumperit , ipsi præsumptionem ipsius munitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescatis . Quod si non ambo &c. alter vestrum . Datum ut suprà .*

*JOHANNI ILLVSTRI REGI  
Anglorum.*

*Epiſt. 66.  
Redarguitur  
de his qua ege-  
rat adversus  
Episcopum Le-  
movicensem.*

**V**TINAM gemitus & dolores prudenter attenderes quos nobis in Ecclesiastarum oppressionibus & afflictionibus Clericorum frequenter infligis ! Utinam celsitudo regalis anxietates animi nostri respiceret quibus affligimur vehementer cum per eam coepiscopos nostros audimus irreverenter offendi & in opprobrium nostrum ac divinam injuriam ignominiosè tractari . Accepimus enim quod tu villas , possessiones , & alia bona venerabilis fratris nostri Lemovicensis Episcopi per mi-

nistros tuos fecisti irrationaliter occupari , quasdam à villis & hominibus ejus exactiones indebitas exigendo , ad oblationes etiam altaris sancti Leonardi , quæ ad ipsum Episcopum pertinere noscuntur , fecisti manus extendi , & pertuos facisci recipi servientes . ( In quo quantum regali magnificientiae derogatur cognoscere poteris , si velis diligentius intueri ) sique universa bona ipsius Episcopi per Seneschalcos & ministros tuos occupari fecisti quod extra civitatem & villas suas cogitor exulare . Nolentesigitur , quantumcumque personam tuam in Domino diligamus , ut apud Deum nostra conscientia nos accuset si haec dimiserimus ulterius incorrecta , celsitudinem regiam monemus attentiū & hortamur in Domino per apostolica scripta mandantes quatenus eidem Episcopo ablata restitutas universa , & de damnis etiā illatis sibi ac suis & injuriis satisfaciens competenter , ab ipsius indebita molestatione desistas , & permittas eum tam in civitate quam Lemovicensi diocepsi liberam mansionem & quietam habere . Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Bituricensi Archiepiscopo firmiter injunxit ut post frequentes & diligentes admonitiones tibi factas ex parte tam nostra quam sua , te ad hoc per interdictum terræ , ad quamcumque deveneris , dum in ea præsens extiteris , nullius contradictionis vel appellationis obtentu nostra fretus auctoritate compellat .

*BITVNTINO EPISCOPO  
& Mariscano Subdiacono & Capellano  
noſtro.*

**L**Icet Tranenses Canonici ab initio disensissent , tandem tamen omnes unanimiter consenserunt , dilectum filium \* G. fratrem Casinensis Abbatis in Archiepiscopum eligentes ; cuius electionem venerabilis frater noster P. Portuensis Episcopus tunc apostolicæ sedis Legatus examinari præcipit , & examinationem redatam in scriptis fecit sigillis electorum filiorum Archidiaconi & magistrorum \* Petrarachæ muniri , cum suo quoque sigillo ad sedem apostolicam transmittendam . Literas quoque suas nobis pro dicto fratre Casinensis Abbatis deprecatorias destinavit , quas cum decreto electionis omnium Canonicorum subscriptionibus roborato , nec non & litteris suffraganeorum & populi , tres de Canonicis Tranensis Ecclesiæ ab universo Capitulo destinati nobis humiliiter præsentarunt , petentes electionem ca-

*Epiſt. 67.  
De electione  
Archiepiscopi  
Tranensis.  
Cap. 5. de off.  
Legati.*

*\* Cod. Colbert.*

*E. Audegas. C.*

*\* Cod. Colbert.  
Petri Chle.  
Audeg. Pa.  
titarchæ*